

charitatem, vel Ecclesiasticam unitatem tenuit, etiam quod prius fuerat amisit. Cum itaque Novatus & Novatianus lapsi fuerint prævalente invidia, ob prælatos sibi in Episcopatus honore alios, eandem causam lapsus Tertulliani fuisse significare videtur *Ambroſiaſter*, quem simili modo ægre tulisse ajunt, quod repulſam Episcopalis dignitatis, sive Romanae, sive Carthaginensis, paſlus fuit; cum tamen tam ambitiosum, & invidum hominem eundem fuisse, nondum sit probatum; licet fastus veneno eundem infectum fuisse non abnuerim, multos etiam ambitionem & invidiam præcipitasse non ignorem.

§. 2. Modo laudatus *Baronius* Annal. ad an. Chr. 217. n. 7. inter causas lapsus Tertulliani remotas, sive priores reliquias, *contemtum antiquæ Patrum traditionis*, à viro hoc commissum, refert. Patet, inquit, quanto periculo quis antiquis traditionibus, licet sibi minus probatis, vel fortasse scripture divinæ visis aliqua ratione pugnantibus, obniti non curet. Nam è traditionum firmitate semel alterutro pede convulso, in abrupta hæresium facile quis impellitur, ut miserrimo Tertulliano vidimus accidisse: cuius enormis excessus hanc priorem omnibus causam extitisse, recte affirmari posse videtur. Sed vehementer fallitur. Nam errores Tertulliani non solum Montanici, sed & reliqui, qui assertoribus eorundem *Tertullianistarum* nomen dederunt, non solum felicius, firmius, & facilius ex Scripturis Sacris, quam ex Patrum traditionibus denudantur; sed & doctrinæ Viri inter suos illustris opponimus verba Petri II. Ep. 1, 19. Καὶ ἐχοῦσι βεβαιωθέντες NB. τὸ λόγον τηροῦντες, & hanc firmiores, ipsis etiam traditionibus non scriptis, si voce patris è cœlis audita, v. 18. sermonem propheticum, cui bene facitis attendentes præ illis, tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoso &c. Cui, ut par erat, cum attendere neglexerit Tertullianus, hunc verbi scripti contemtum primam omnium causam ejus lapsus esse contendimus. Nimirum sicut Eva à verbo DEI aversa, cum Satanæ verbum, Enthusiasmo Diabolico se tradens, audire & probare mallet, horribilem lapsum commisit; ita Tertullianus, cum relinquaret DEI verbum, revelationibusque αὐτοῖς, &